

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1254

**Auteur(s) :** Urbain IV [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1264, 25 juin

**Lieu d'émission :** Orvieto

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Urbain IV porte divers règlements relatifs au doyen de l'église de Bayeux. Il accorde, en particulier, à Grégoire de Naples et à ses successeurs dans le décanat le privilège spécial de toucher intégralement tous les revenus et produits de leurs bénéfices ecclésiastiques, les distributions quotidiennes exceptées, sans être tenus de résider personnellement dans les églises où sont ces bénéfices.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXVIII, t. 2, p. 215-218.

Texte établi d'après a

Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Baiocensi, salutem et apostolicam benedictionem. Certiora dilectionis vobis ostendere signa non possumus quam si nostris utilitatibus vestra præferamus commoda, nostrisque publicis detrahamus profectibus ut vestros privatos defectus liberaliter suppleamus. Attendentes igitur quod ecclesia Baiocensis diu fuerat decani præsentia destituta, quodque multa ex hoc in spiritualibus et temporalibus intererat (sic) detrimenta, ac volentes vobis et ipsi ecclesiae de tali providere decano qui, et moribus et scientia dignitati hujusmodi se coaptans, in ipsa residendo ecclesia sibi per vitæ meritum et aliis proficeret per exemplum, post diutinam nostræ attentionis providentiam et longam apostolicæ disquisitionis indaginem quam in inveniendo personam ad hoc ydoneam adhibere curavimus, et tandem consideratis meritis dilecti filii magistri Gregorii de Neapoli, capellani nostri, canonici Baiocensis, in ipsum oculos mentis nostræ convertimus, firmavimus animum, et noster super eum spiritus requievit. Et licet idem cappellanus in nostris et Romanæ ecclesiae se fideliter et utiliter exerceret serviciis, nostrorumque laborum assidue partem nec minimam supportaret, pensantes tamen, inter alia, quod ipse, a primævo ætatis suæ tempore, obsequiis prædictæ Baiocensis ecclesiae deputatus, adolescentiæ suæ annos in partibus Gallicanis diu morando peregit, quodque et lingua et moribus adeo Gallicis se conformat quod non minus potest Gallicus quam Ytalicus reputari, de persona ipsius decanatu Baiocensi potiusquam de decanatu personæ duximus providendum, ipsum, quantumcumque ejus cara præsentia careamus inniti, nostris subtrahentes obsequiis, et vobis ac prædictæ Baiocensi ecclesiae concedentes. Verumptamen, volentes utilitati Baiocensis ecclesiae salubriter providere, apostolica auctoritate statuimus ut idem magister Gregorius, et successores sui decani Baiocenses, si sacerdotes non fuerint, a die quo recepti fuerint in decanos, infra annum teneantur ad susceptionem hujusmodi sacerdotalis ordinis et ad continuam residentiam in eadem ecclesia faciendam. Super quibus idem magister in nostra præsentia præstitit jusjurandum, et ab eisdem

successoribus, cum in decanos recipientur, simile præstari volumus corporaliter juramentum. Et ne de cetero ad quem spectet cura capituli et animarum canonicorum et aliorum clericorum prædictæ ecclesiæ Baiocensis dubium oriatur, eadem auctoritate declaravimus ad decanum Baiocensem, qui pro tempore fuerit, curam hujusmodi pertinere. Ut autem residentia hujusmodi et alia onera decanatus ab eodem magistro et successoribus ipsius levius sub alicujus commodi compensatione portentur, sibi et successoribus ipsius eadem auctoritate concessimus ut, in prædicta Baiocensi ecclesia residentes, omnes redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum, quæ prædictus magister habet ad præsens, vel ipse aut dicti successores, in ecclesiis quibuscumque habuerint in futurum, cum ea integritate percipere valeant, distributionibus cotidianis duntaxat exceptis, cum qua eosdem perciperent si in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa consistunt, residenciam facerent personalem. Adjecimus etiam quod eidem magistro et successoribus prædictis duobus mensibus singulis annis liceat extra dictam Baiocensem ecclesiam, ad prosecutionem negotiorum suorum libere commorari, de cotidianis distributionibus ipsius ecclesiæ nichil tunc temporis percepturi. Tempus autem aliud, quo præfatum magistrum et successores eosdem pro episcopi vel capituli Baiocensis negociis, de capituli ejusdem licentia, continget abesse, in prædicta residentia computetur, et tunc habeant distributiones hujusmodi ejusdem ecclesiæ Baiocensis. Ideoque universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus, et horandam per apostolica vobis scripta, mandantes quatinus gratiam, quam de prædicto magistro Gregorio vobis fecisse dinoscimur, diligentius advertentes, illamque nullatenus suscipientes in vanum procuratorem ipsius magistri Gregorii, qui pro adipiscenda prædicti decanatus possessione transmittitur, ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram benigne recipere, sibi que de omnibus ipsius decanatus juribus, donec idem magister, qui eum evestigio subsequetur, ad vos accesserit, integre respondere curetis. Ita quod dictus magister, cum ad prædictam Baiocensem ecclesiam, Deo dante, pervenerit, vos universos et singulos condignis gratiarum actionibus prosequatur, nosque devotionis vestræ promptitudinem multiplicibus in Domino laudibus merito commendemus. Datum, apud Urbem Veterem, septimo kalendas julii, pontificatus nostri anno tercio.